

Upsala U.

IN NOMINE JESU!
DISPUTATIO POLITICA

De

MAJESTATE EJUSq;
JURIBUS, ECCLESIASTICIS
ET POLITICIS;

Quam,

AUXILIO SUPREMI NUMINIS,

Et

*Suffragio Amplissima Facultatis Philosophica, in illustra
& florentissima Regia Academia Aboënsi:*

SUB PRÆSIDIO

Nobilissimi & Amplissimi VIRI,

DN. SAMUELIS GRENSTÄPES/

De Kerrenheim/ &c. Hæred. Politices & Hist. Prof. Ord.

Præceptoris & Promotoris sui maximè su-
spiciendi :

PRO GRADU MAGISTERII,

*Sobriè Philosophantium examini placideq; censura
publicè submittit*

PETRUS OLAI HAHN Smol.

In Auditorio superiori & maximo, Anno Christi 1679.

die 31. Octobris, horis ab oct. matutinis

A B O Æ,

Excusa apud Viduam Hansonii, Acad. Typogr.

Moss. Loren. Ve.

S.^r R.^o M.^{is} VIRIS fidelissimis,

*Nobilitate ac Amplitudine Præclaris, rerumque Civili-
um Consultissimis Prudentissimisque,*

DN. ANDRÆ Gyllenkrook/
Domino in Kaulansu &c. Dicasterii Aboënsis
Adessori gravissimo, Ditionis Kymmenegård Terri-
toriali juridico, nec non in Comitatu Raseburgensi
V-Juridico Provinciali æquissimo; Patrono, Me-
cœnati & Nutritio, omni animi obsequio & de-
voto pietatis cultu ætatem prosequendo,
suspiciendo,

DN. DIDERICO B. Leyonberg/
Per Finlandiam, Nylandiam & Careliam, mariti-
morum vectigalium Inspectori attentissimo,
itidem Patrono & Promotori be-
nignissimo.

Item Spectatissimo

DN. LAURENTIO Bancel/
Pannariæ Negotiationis in celeberrimo Holmenfi
Emporio Inspectori solertissimo, fautori &
benefactori maximè colendo,

Salutem Annos & felicitatem.!

Nobilissimi & Amplissimi Domini Patroni,



Cenerosum esse & omni favore dignum in-
genium, cui sunt cordi disciplina politica, satù
præclare alicubi dixerat Xenophon. Imò totam
philosophiam thesaurum inæstimabilem ab o-
mnibus illis, quibus de meliore luto finxit præcordia
Titan, salutari ignoramus nulli. Non ipsam tacemus Scientiam
Naturalem, qua tanta est dignitate & sublimitate, ut ejus beneficio,
non modo admirandum Dei creatoris opus, cælum atque terram, o-
mniaque, qua vastissimus hujus mundi continet ambitus, liceat con-
templari; verum etiam penitus ejus scrutinia & adyta penetrare atq;
inquirere. Primam Philosophiam, qua alias Metaphysica audit,
siccopedæ non transeundam puto; ejus enim utilitatem & necessitatem
in obscurioribus terminis enucleandù atq; interpretandù omnes sum-
moperè eunt depradicatum. Hanc etenim insignem profusus usum
contra Heterodoxorum strophas captionesq; humana quas necit ra-
tio, obtinere neminem in aciem progressum ad sacra prælia inficias
iturum autumandum est. In disciplinâ Mathematicis, quæ ne-
scit Arithmeticam, usum non modò in Mercimonia & Oeconomias,
spargere sed & in Geometriam, Astrologiam, Geogra-
phiam, resq; opticas admodum insignem. Quid memorem de
Geometriâ & Geographiâ, in vitâ tam contemplativâ, quam
activâ dulcissimâ disciplinâ, edocentibus omnium & dimensiones &
descriptiones locorum. Num quid Astrologiam edocetum, astro-
rum eorumq; ortus & occasus, Eclipsiumq; exquisita fallat cognitio?
Quid dicamus de primâ parte Philosophiæ moralis Ethicâ, in quâ
summum, in actionis virtute, inquirimus bonum? Nec Oeconomi-
cam, alto involutam silentio volumus, familiam imprimis &
curam adtendentem domesticam. Sed frustra hisce immoror de-
pradi-

predicandis disciplinis cum illis, caterisque, quarum nunc mentio,
 brevitatis, cui velificamur, causâ, jam non est injecta, palman-
 praripere haud immeritò videatur Regina illa disciplinarum & ars
 artium Architectonica, Politica: Etenim ejus dignitatem & utili-
 tatem, nobis quam praestet in vitâ communi extra omnem controver-
 sâ aleam ponimus. Deus enim est, qui nostris mentibus vim atque
 propensionem ad vitâ societatem in ipsa creatione iniecit, undè ho-
 mo animal naturâ politicum à Philosopho adpellatur. DEUS
 est, qui statuta judicialia & leges Israëlitis prescribere populo non
 est dedignatus. Deus est, qui hodiè etiam constituit & transfert
 regna; Rex, Princeps & Magistratus, ipsius sunt Vasalli & Sub-
 delegati. Ex hac nobilissimâ disciplinâ, deponendi ergò speciminis
 publici, elegi egregiam hanc & insignem Materiam de Majestate
 ejusq; Juribus Ecclesiasticis & secularibus, quam etiam, non
 ut debui, sed ut potui, rudi Minervâ adumbravi & depinxi. Ca-
 terùm ut huic qualicunq; operi aliquam lucem, quam ex se non ha-
 bet scenerarer, illud Vestris Nominibus, Nob. & Spectatiss. Dn. Pa-
 tronis, instar firmorum praesidiorum, adversus Malevolos & Momos,
 quorum nostrum hoc seculum uberrimum adtulit proventum, in-
 scriptum & consecratum eo. Accipite proinde hilari vultu, Patros
 Opt. hoc, quidquid est, ingenij specimen, in thesseram nunquam
 intermoritura gratitudinis; meisq; olim commodis, quibus hactenus
 inexpugnabili favore velificati estis, consulite! ipse vicissim vo-
 bis, Nob. & Spectatiss. Dn. Patroni, quavis fausta precari non desistam,
 qui sum & ero

Vestris Nominibus

fide & officio

Addictissimus

PETRUS H. H. H.

2. Harmonius S. Roubertus

IN NOMINE JESU!
DISPUTATIO POLITICA

DE
in genere
MAJESTATE EJUSQUE JURIBUS.

ecclesiasticis et Politicis in spe.

THESIS I.



Majestas est summa & legibus so-
 luta potestas procurandi, ordinandi &
 disponendi media illa, quæ ad salutem
 & utilitatem tum corporalem tum spiri-
 tualem corporis politici pertinent.
 Jac. Mart. lib. 2. pol. cap. 19. de Majest.
 Vel summum Imperium est absoluta

perpetua legibusque soluta potestas, in personas ac res, certâ
 ditione comprehensas, salutis publicæ causâ. Giesl. Exer.
 II. pol. de summo imperio. Vel Majestas est summa & per-
 petua, legibusque soluta potestas competens in res & perso-
 nas suæ ditionis, vel inibi existentes pertinens ad administra-
 tionem & omnes curas gubernationis pro reip. salute dispo-
 nendi. Notamus heic circa *definitum* I. ὀνοματολογία, ubi
 tria perpendimus: (α) *Etymologiam*. Derivant Majestatem alii
 à magnitudine quasi major nominetur status. Tholof. l. 8.
 Arnis. de Jure Majestatis. Alii à majus, sicut à tempus
 tempestas; ita à Majus Majestas Schyboth. pol. lib. 1. cap. 9.
 Nos autem cum Jurisconsultis non tam nomen quàm rem
 intuemur, Majestatique originem & derivationem à præ-
 eminentiis & juribus, quibus illa gaudet, tributū imus; prout
 omnibus aliis imperiis dignitatibus quoque & honoribus jus
 quoddam & fastigium superius sit, quo jure, excepto Deo,
 nihil

A

Pl. G. S. nonius Rf. Mant. Er. Olyretus

nihil majus aut excelsius esse possit. *Ut enim Sol splendore cuncta sidera, ita Majestas Resp. membra cetera, dignitate, splendore, auctoritate, nec non potestate superat atq; transcendit.* (β) Homonymiam. Vox Majestatis accipitur vel concretivè, & ipsum Monarcham, Majestate & potestate summâ, legibusq; solutâ fulgentem, significat. Vel abstractivè, potestatemq; & functionem ipsam denotat. *Majestatem* aliàs distingvimus in *realem* & *personalem*: Illa regno perpetuò inhæret, eiq; est cœva, nec per decessum Monarchæ, expirat, sed quamdiu corpus regni durat, permanet, & sub ipsis interregnis & alternationibus gubernationum, subsistit. Hæc scilicet *personalis Majestas* est, quæ personæ, cui collata inest, & cum ea coincidit, interit & expirat, & ex quâ in aliam transferri potest. Porro *Majestas Realis* *Majestas imperii* audit, quia fundamentum imperii est, quo cum nascitur & interit. Majestas verò personalis, Majestas imperantis, & à Majestate imperii, tanquam fundamentum à fundamentato distingvitur. Undè fit, ut Majestati imperii, imperantis Majestas tanquam superiori obstringatur, ne quid Respublica detrimenti capiat, & in scederibus quandoq; regni Majestas, non regis exprimitur. Vide spec Saxon: Jun: Brutum, in Vindiciis contra Tyran. Bod, lib. 1. de rep. cap. 7. (γ) *Synonymiam*, Aristoteles suis in libris pol. Majestatem vocat, *αυτοκρατορίαν, κυρίαν αρχήν, δύναμιν καὶ αρχήν πολιτικὴν, κύριον πολίτευμα, ἀκραν ἐξουσίαν, alii μεγαλοπρέπειαν, μαγαλοσύνην, ἀγίαν βασιλείαν.* Latinis vocatur Majestas, Summum imperium, Summa potestas, augusta Auctoritas, Celsitudo principium, Præt. part. post. pol. c. 1. de Summa potestate: alias Majestas denotatur per Sacra regni, Jura imperii, Summa rerum, Jura sublimia. Clapmar. de Arcanis Rerum publicarum lib. 1. c. 10. Quin imò exprimitur Majestas per
ornamen-

Ornamenta & Insignia, quæ in solennibus coronationis & inauguratione Regis adhibentur, utpote per *Coronam*, *Ensem*, *Sceptrum*, *Pomum* & *Clavem*, beatae memoriz Doct. Gyl; denstâlpe disp. 5. pol. de Juribus Majestatis. *Corona*, purissimo auro gemmisq; fulgens, Sphærica est, & signum Regiæ sublimitatis & indivisionis regni; per *Ensem* exprimitur illa, quâ boni defenduntur, mali verò puniuntur, Regia potestas. *Sceptrum* est potestatis & Justitiæ nota. *Pomum* potentiam terra mariq; latè diffusam repræsentat, cunctaq; ad Christi honorem referenda. *Clavis* ærarii potestatem & noxiorum aversionem denotat. *Amiculum* imperii dignitatem. Vide sis pol. Reverendiss. Doct. Jo H. GEZELII part. post. c. 1. & beat Doct. Gyllenst. pol. disp. 3. de Monarcha sive Rege constituendo, item elegantissimos illos, quos in eadem disp. Doctor Gyl; de coronatione & unctione Christianæ, quondam Suecorum & Gothorum &c. &c. Serenissimæ Reginæ, infert, à Loccenio concinnatos versiculos, II. Perpendidimus *περὸ ματολογίαν*, seu *definitionem ipsam*, quæ realis audit.

THESES II.

ET primò omnium nobis expendenda occurrit Majestatis *causa efficiens*, quam nos duplicem esse volumus, divinam scilicet & humanam: illam dicimus Deum immediate ut Sauli & Davidi, vel mediatè Iura Majestatis imperatori & Regi vicem Dei in his terris gerentibus decernere. Hanc vero populum vel Ephoros regni, populi vicem supplentes imperatori & Regi potestatem & Majestatem concedere statuimus. Interim nobis cautio est adhibenda ne populo tribuamus quæ Dei sunt: indè distingvimus inter ipsam Potestatem & ejus Translationem, illam fluere à Deo, neminem quippe esse potestatem nisi à Deo.

Rom. 13. Hanc verò, nempe Translationem Potestatis à Populo esse factam, neminem sanioris sensus inficias iturum autumamus. Non tamen indè conclusum ibimus hanc à populo translata potestatem à transferente suam deducere originem, confer. *lis Bornit. de Majestate.*

THES. III.

Confertur præterea Majestas in Imperatorè & Regè vel modo Ordinario vel Extraordinario: Illo modo fit per media ordinaria, puta Successionem vel Electionem: Hoc verò vel frequentius vel rarius: Frequentius, quando Imperator vel Rex, Summam sibi potestatem, vel mediis Pacificis, ut jure Dotis, vel Testamento acquirit: vel Bellicis, ut quando sibi Majestatem Regiam in alienis ditionibus, bello parit. Rarius autem, quando jura Majestatis, Imperatori vel Regi, Casu vel Sorte committuntur. Sic *Darium, hinc Equorum, Regem esse electum,* testibus Herodoto lib. 3. & Just. lib. 1. *Quid dicamus de Gordio, ad Iovis Templum cursu se conferente, à Phrygibus ex responso Oraculi, in Regem electo?* Vide Tholof. lib. 7. de rep. undè plura peti possunt exempla. & hæc sunt dicta de origine Majestatis, vel de causa Majestatis procreante, ut loquar cum Dithmarso Syst. pol. lib. 3. *Conservantem causam, Legem & Arma esse statuimus,* sine quibus Resp. firma & tuta esse nequit: Causam verò instrumentalem, Leges Fundamentales, quibus sublatis, salus & status reip. everruntur. Danæus lib. 3. pol. Christ. c. 6. aut ad minimum in aliam speciem mutatur.

THES. IV.

Majestatis materiam heic non damus aliam, quam in quâ. Ubi quaeritur, cuinam competat hæc Majestas: Primum Imperatori & Regibus: deinde Electoribus, Principibus, Comitibus

mitibus, & liberis Rebus. Sententia est non paucorum Politicorum, & Jurorum. Quibus Majestas significat *Authoritatem & Amplitudinem vel Principis vel populi Romani, vel Magistratus.* L. penult. ff. de Iustitia & Jure. L. 9. ff. de jurisdictione. Huic Istorum sententiæ calculus adjici potest, discussâ illâ, quâ laborat ambiguitate, vox Majestatis: Sumitur enim vel γενικώς & generaliter, & competit non soli Imperatori & Regibus, sed & cuivis perfectæ Reip. uti vult cum Bodino, Tholosanus lib. 9. de rep. vel ειδικώς & specialiter, & competit soli Imperatori & Regibus: est quippe Potestas planè absoluta independens & legibus soluta. Majestas verò Electorum, Principum, Comitum &c. determinata & subordinata, derivataq; à summa Imperii potestate. Huc accedit illud Marci Tullii pro Cornelio agentis: *magnum nomen, magna species, magna majestas Consulû.* Undè Miczislavus & Uladislavus, Reges Polonorum, Majestatem soli Imperatori & Regibus competere propriè & immediatè ignari, Regio sese titulo abdicarunt, adq; Papam pertinere rati, ut Regium conferret Diadema, ad quem etiam miserunt, licentiam coronâ utendi petitam, Gram. lib. 5. Chron. Pol. *nescientes cum Nerone, quantum licuit,* Quam tamen Majestatem sibi assererent 1. ex Titulo Imperatoris & Regum, solis sibi Majestatis titulum vendicantium: 2. Ex inductione omnium Jurium Majestatis, quorum paulò post mentionem injicere animus est, imperatori & Regibus immediatè adtribuendorum.

THES. V.

Formam Majestatis consistere in potestate seu superioritate Majestatica, asserere non veremur: *per formam enim res est id, quod est.* Præclariss. M. Flachl. in Collegio suo Log. part. prim. cap. 4. thes. 3. Atqui per potestatem Summam

Perpetuam, legibusque solutam & propriam, Majestas est id, quod est, atque à cæteris omnibus dignitatibus distinguitur. Proinde non velificamur sententiæ eorū, Majestatem in Titulorum ornatu sive splendore statuentium, cum Titulorū ille splendor, à Majestate separari possit: nec Tholosani lib. 8. c. 3. Quod sit latens quidpiā, asseverantis. Nec Lipsii l. 2. pol. c. 16. Sententiam adprobendam volumus, *Majestatem, Reverendam Amplitudinem, ob meritum virtutis aut rerum affinium, vocantū.*

THES. VI,

PRimum Majestatis esto requisitum, ut sit Summa, juxta Aristotelem, *Majestas est summa in civitate ubique, sive in omnibus potestas.* 3. pol. 6. *Non respectu Dei omnipotentis, sed hominum sibi subjectorum, nec tam universorum, quam singulorum, quippe sine implicatione contradictionis, superiorem agnoscere natura Majestatis non est quita: supra quod aliquid est superius illud non est summum.* Unde Regio titulo insignitis, alterius tamen subjacentibus imperio, non esse perfectam & illibatam potestatem patet. Qualis erat Rex Danorum tunc temporis, cum Friderico II. Imperatori fidem daret: *Rex Danorum Magnus, se in potestatem Imperatoris tradidit, obsides dedit, juramentū fecit, se suosq; successores, non nisi Imperatoris & successoris ejus permisso regnum adepturos,* Trithemius c. 17. Summa proinde potestas non aliū nisi Deū agnoscit autorē, ideoq; suæ quasi originis non alterius beneficio, quam Dei solius, cujus in terris gerit vices, se acceptam fert. Inde Imperatores & Reges, ad quos Regnū sive per ordinem Successionis, sive jure Hæreditario descenderat, suis addunt nominibus hæc verba: *Dei gratia: nostrates Reges med Gudz Nade. Germani von Gottes Gnaden.* Nihil autem refert sive quis paucioribus sive pluribus cum summa potestate imperat civitatibus. Illius quippe potestas, qui pluribus, non est major illius potestatis, qui paucioribus imperitat, scilicet intensivè, licet major exten-

ensivè, & ad plures sese extendat. II. Requisite facimus Majestatis: *quod sit propria & perpetua: vix enim Summa vocanda, quando ad certum tempus alicui conceditur, plena potestas.* Unde sententiæ Grotii de Jur belli, calculum non addimus, de Dictatoribus Romanis, ad breve tempus, sex tantū menses Dictatorio munere fungentibus. Nec Imperium Consulare, quia annum fuerat Majestaticæ superioritatis, cum perpetua esse debet Majestas, quamdiu regnum durat, & quamdiu vivit is, cui regni Majestas tradita est. Unde patet: Administratores, qui vel propter absentiam, vel infantiam, vel deniq; furorem veri Regis interdum creari solent, propriam Majestatem non obtinere; Sed illis paulo post deponendam. Quam etiam denegamus legato, qui quidem perpetuam potestatem habet, sed precariam, cum de ea rationem Regi, vel principi reddere tenetur. Quare curatorem Majestatis eum agnoscimus, sed Majestatem ipsam penes eum esse nequaquam concedimus, quæ vel penes Regem, seu Principem, vel Optimates, vel Populum remanet. III. Majestatis requisite facimus: *legibus esse solutam.* Quum n. Rex, Dei sit vicarius, legatus & lex animata, ita ut in hac sua ditione superiorem non agnoscat potentiam, quomodo igitur leges? quæ arman- tur à vi superiore tanquam scita potentie ejus, alioquin ridendæ, ut leges Leporum in Leones latæ: ex fabula Antisthenis 3. pol. cap. 18. Majestatem n. superiorem in rep. non agnoscimus potentiam. *Nihilominus Regem legibus divinis exemptum esse nolumus, cum utriusque tabula custos sit.* Psal. 72. 1. 2. 3. & passim alibi, alius enim datur in Rege respectus ad suum regnum & subditos, quo respectu Rex: alius respectus ad Deum, quo respectu non Rex est, sed subditus Dei, & Civis mundanus: Rex quidem est omnium

mnium Dominus, ait Agapetus Diaconus apud Stobæ: Serm. 32. Servus tamen Dei cum omnibus. *Nec legibus naturalibus Regem solutum esse volumus, nam leges natura sunt ipsa leges divina: tantum ratione ab illâ distincta. Sunt enim omnium hominum cordibus inscripta. Rom. 2. ac proindè immutabiliter hominem obligant. Deo enim est natura ut nemo imperat: ita hîs nemo eximitur.* Gielf. Exer. 2. pol. de summo imperio. *Nec legibus Majestati*, siquidem in hisce fundamentum totius imperii consistit. Unde etiam *leges fundamentales* adpellantur: & in eadem in Inauguratione & Inthronificatione, Imperator & Reges jurare tenentur. Id quod ex legibus fundamentalibus imperii Romani adparet, in quas juravit CAROLUS V. electus imperator: ut refert Sleidanus in Comment. Item ex legibus fundamentalibus regni Gallici, quas refert Hot. l. 1. de ant. jure reg. Gall. Ad hasce igitur regulas, tanquam ad cynosuram, omnia administrationis suæ negotia Imperatori & Regibus referenda sunt.

THESIS VII.

Finis Majestatis duplex est divinus & humanus: ille respicit Ecclesiæ salutem; veræ religionis propagationem & Conservationem: Hic vero Regni & Subditorum incolomitatem, Naturalem, Moralem & Civilem.

THESIS VIII.

Majestatem ratione forma sive excellentiæ Jurium consideratam, asserimus ea esse in Majora & Minora dividenda: inq; illis supremam Potestatem & Dignitatem consistere, & quæ nec patiuntur se in alios transferri: in his verò facilius fieri Imperatoris & Regum concessionem & communicationem. Alias consideramus jura Majestatis, vel prout sunt *Ecclesiastica, vel Politica & Secularia*: illa æternam

nam hominis vitam concernunt: Hæc honestatem & justitiam Civilem directè determinant: pro duplici vitæ societate, quarum una Spirituali, altera Seculari adpellatione venit, dictum enim est Majestatem utriusque tabulæ esse custodem: juraque proindè Majestatis nihil esse aliud, quam exercitia summæ potestatis, prout res in rep. diversæ administrandæ occurrunt.

THESIS IX.

Primum igitur Majestatis, Ecclesiasticum jus ponimus, in Religionis tutelâ & propagatione: jus enim Ecclesiasticum est potestas disponendi, ordinandi, curandique media ad religionem veram, divinumque cultum & æternam hominis salutem proficientia, Politico corpori competens. Hoen. disp. pol. 3. Majestas igitur Ecclesiastica est, quæ circa Ecclesiam & res eò pertinentes est occupata. Matthias 3. pol. Exer. Sect. 7. Adeo ut nec dubitari possit, quin & antiquitus quoque cura Religionis ad jura Majestatis pertinerit. Numa Pompilius sacras & Ceremonias, omnemque cultum Deorum immortalium docuit: ille Pontifices, Augures, Salios ceteraque sacerdotia, jure summa Majestatis instituit. Flor. lib. 1. c. 2. *Omniaq; quæ ad Divinum cultum spectabant* (annotante Freinshemio) in octo distribuit partes: quorum primi erant Curiones, pro Curialibus rem divinam facientes. Secundi Flamines, à gestatione pilei flaminei adpellati. Tertiò erant Tribuni Celerum Regum ad bellum euntium satellites & custodes. Quarto ordine Augures avium & divinitus emissa signa interpretaturi. Quintus ordo habebat vestales virgines sacri ignis custodes. Sexto sequebantur loco Salii, qui saltatione & choreis laudabant Deos, armorum præsides. Septimâ in classe Feciales locabantur, quorum erat cura foederum & foederatorum: ultimo & octavo numero

mero Pontifices à ponte ligneo seu sublicio reficiendo dicti, quibus competeat cognitio de Ceremonijs, religione, sacris & examen Sacerdotum. Neque tacemus Sacram paginam, tot piorum Regum exempla producentem, Religionem & ritus, ex verbo Dei in Remp. magnâ contentione introductum & procurantium: Davidis, Salomonis, Joæ, Josiæ. Nec nostrates præterimus Reges: Biörn, iv. & Olauum Stot. fonung / fidem Christianam per Sueciam constituentes: Sanctum Ericum qui eam in Finlandiam inuexit; Gustavum i. qui superstitionem abolevit Papisticam; CAROLUM ix. qui religionem veram ad Lappones propagavit; Gustavum Adolphum, qui pro Lutherana doctrinâ tuendâ, in Germania telo ictus, occubuit in perpetuam nominis sui laudem. Sed dicat quis, Majestatis non esse potestatem circa res Ecclesiasticas & doctrinam fidei, sed eâ esse potius huic subjectam. Verum distingue, & res erit expeditæ Potestatem Ecclesiasticam esse duplicem, Internam & Externam: Illam ab Ecclesiasticis, Ecclesiasticè in Ecclesia exerceri, docendo, solvendo, ligando, Sacramentaq; administrando: Hanc extra Templum circa personas & res Ecclesiasticas civiliter exerceri, & consistere in legibus condendis, conditisq; tuendis, interpretandisque: quæ perelegans distinctio ex memorabili dicto Constantini Magni ad Episcopos sumpta est. *Vos estis, inquit, Episcopi in Ecclesia: ego extra Ecclesiam seu Templum Episcopus constitutus.* Euseb, lib. 4. cap. 24.

THESES. X.

SECUNDUM Majestatis jus Ecclesiasticum in Sacri ordinis consistit gubernatione, quo potestatem obtinet. Suprema potestas in personas Ecclesiasticas. Etsi enim dignior sit illa persona, animam quæ regit, quam quæ corpus, istam

istam tamen non ex usu hujus Seculi, sed usu Cœli metiemur. Besold. i. pol. c. 3. n. 7. Huc referri potest, jus Synodos generales & extraordinarias, seu Provincialia concilia convocandi. Quale Rex Joh. iii. Anno 1572 Ubsalia coëgit. Hujus modi fuit consilium Ubsal. 1593. Sic concilium à Constantino Magno convocatum est Nicænam, Anno Christi 325. quod triennium & quod excedit, duravit. Ruff, lib. 1. cap. 7. Euseb, lib. 6. cap. 6. de vita Constantini. Sozim, lib. 7. cap. 16. Socrates lib. 1. cap. 6. à Theodosio Magno, Synodus contra Macedonium convocata fuit Constantinopolin, Anno 385. Niceph. lib. 12. cap. 10. Undè dispalescit hanc Potestatem summam, non apud Pontificem Romanum, sed semper, omnibus retrò seculis, Penes Imperatores & Reges fuisse. Et huc pertinet jus, certas formas Consistoriorum instituendi, Episcopos & Pastores in amplioribus beneficiis, (quæ regalia adpellari solent) confirmandi, eosq; sustentandi. Festa & solennia precum, & gratiarum actionis, indicendi & promulgandi, quod præter ipsam experientiam, in nostra patria, confirmant tam veteris quam novi Testamenti exempla. Deniq; jus Scholas, Gymnasia & Academias instituendi & erigendi, quæ seminaria sunt Ecclesiæ & Reipublicæ. Etenim harum fundatio, juxta Vulteium, unicè ad Imperatoris & Regum præminentiam referenda. Quam non nisi pravâ usurpatione sibi adscripsisse (referente Baldo] Pontificem Romanum: hoc vetustissimæ testantur Academia: quarum sese prima offert, Academia Bononiensis, Studiosorum mater, quæ prima omnium à Theodosio Imperatore fundata, privilegia quædam accepit, deindè à Carolo Magno reparata, Postremum vero à Lothario Saxone dotata, locupletata, immunitatibusq; & novis privilegiis exornata.